

Franckesche Stiftungen zu Halle

Der beeden berühmten holländischen Theologen, D. Campegii Vitringä und D. Johann Meyers verschiedene Gedanken über die letzte Weissagungen Ezechiels ...

Metzler, Johann Benedict

Frankfurt und Leipzig, 1760

VD18 1318590X

Sectio IV.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-213055

totius terræ cap. 45, 7. 8. cap. 46, 16-18. cap. 48, 21. 22. Quæ pristinæ urbi & reipublicæ non respondent.

SECTIO. IV.

Expenduntur varia Mosis ac Prophetarum oracula de futura totius populi Israelitici in terram Canaan reductione, deque reædificatione Hierosolymæ & Templo ejusque ministerio.

CAPUT. I.

Ex diversis Mosis & reliquorum Prophetarum vaticiniis ostenditur, remigrationem populi Israelitici in terram Canaan ex harum rerum numero esse, quæ fieri possunt, & credibile esse, non duas duntaxat tribus Judæ & Benjaminis, a Romanis abductas, sed & reliquas decem, olim ab Assyriis deportatas, in suam patriam esse reducendas.

HActenus vidimus, propheticas Visiones Ezechielis, novem ultimis capitibus comprehensas, neque sub Templo secundo, juxta proprium literæ sensum, neque mystice sub N. T. fuisse impleras. Nunc instituti ratio postulat, ut, quod in Proœmio Thef. 19 promissimus, de vero sensu harum prophetiarum conjecturas nostras in medium proferamus. Conjecturas dico; quia vaticinia eventu nondum comprobata sunt obscuriora, quam quæ actu & de facto sunt impleta, quum hæc per comparisonem eventuum cum prædictionibus perspicua fiant. Quemadmodum vocatio genti-

gentium juxta Pauli effatum Rom. 16, 26 olim erat *mysterium*, apud universas gentes *tacitum*, ipsisque Judæis incognitum, ratione circumstantiarum & modi, eas scilicet absque circumcissione esse servandas, quod in N. T. per Apostolos est revelatum: ita quoque Judæorum futura conversio *mysterium* vocatur Rom. 11, 25. quatenus omnis modus istius conversionis nondum est revelatus, nec dum omnes circumstantiæ sunt perspicuæ, quæ non nisi experientia cognoscuntur & a complemento apertæ fient, quo tempore scilicet, quibus mediis & modis hæc conversio futura sit.

II. Cum autem plerique Judæi ea omnia, quæ prophetæ de statu Ecclesiæ & politiæ Judaicæ futuro prædixerunt, literaliter eventum fortitura esse contendunt, & omnes duodecim Tribus in possessionem terræ Israelis reducendas, Hierosolymam reædificandam & Templum materiale denuo struendum esse credant, operæ pretium erit, examinare varia Mosis & aliorum prophetarum oracula, priusquam de Ezechielis visionibus conjecturas nostras proponamus, ut videamus, quid illis concedendum denegandumve sit, & utrum omnia literaliter, an autem quædam mystice sint exponenda.

III. *Reditum* Israelitarum in terram Canaan, docent innumera prophetarum testimonia ex quibus illustriora ac clariora producemus, non aliorum Interpretum fide & auctoritate, sed quo-

quorum sensum Dei gratia propria meditatione affecuti sumus, ut manifestatione veritatis nos erga conscientiam hominum commendemus. Ne jam dicam de celebri promissione Abrahamo facta Gen. 15, 18 seq. cap. 17, 7. 8. neque de similibus oraculis Exod. 23, 23. Levit. 26, 40-45. Deut. 11, 21-24. cap. 19, 8. expendendum lectoribus propono illustre vaticinium, quod extat Deut. 30, 1-10. cum primis comm. 3. 4. 5. *Reducet Dominus Deus tuus captivitatem tuam* &c. Quæ vel soluta captivitate Babylonica impleta, vel tempore futuro implenda sunt. Nondum impleta esse, docet 1. temporis circumstantia vers. 1. cum hanc conversionem & restitutionem Israël præcedere debeant omnes maledictiones & calamitates cap. 28. & 29. prædictæ, ex quibus illa notatu digna cap. 29. comm. 21-24. expressa, quam a Romanis accepturi erant, cum terra sulphure & sale comburenda, ut neque conferretur, neque germinaret, neque ullæ in ea crescerent herbæ, qualis fuit ruina Sodomæ &c. 2. Quod hæc liberatio erit universalis omnium tribuum Israël per omnes populos dispersarum, & in *extremitate cælorum expulsarum* vers. 3. 4. quæ liberatio neutiquam comparanda cum visitatione domus secundæ, cum non omnes reversi in terram, non decem tribus ab Assyriis deportatæ, nec filii Israël & Judæ, per Ægyptum, Ammon & Moab, aliasque terras dispersi, sed quidam tantum, qui ex Babylonia

ad.

adscenderunt, homines tenuioris fortunæ, & pauci ex illis. 3. Post hanc liberationem Israelitæ gaudebunt majori prosperitate ac dignitate, quam unquam obtinuerunt sub Templo primo, temporibus Davidis & Salomonis, quorum regnum erat florentissimum vers. 5. 9. ad quam amplitudinem ac majestatem nec Politia nec Ecclesia Hebræorum pervenit post captivitatem Babylonicam, cum essent sub servitute vel Persarum vel Græcorum, vel Romanorum. 4. Post hanc liberationem Israelitæ non migrabunt rursus in captivitatem, nec revertentur ad pristina enormia scelera, quia Deus eorum cor circumcidet &c. vers. 6. coll. Jes. 11, 9. Ezech. 36, 24. seqq. cum sub secundo Templo multiplicati sint latrones & homicidæ, hæretici ac Sadducæi, quemadmodum illud Abarbenel ex Josepho Gorionide ostendit, quod etiam Flavius Josephus memoriæ prodidit. 5. Post hanc liberationem istæ maledictiones, quas Deus populo suo comminatus fuerat, hostibus ejus obvenient vers. 7. cum tempore Templi secundi Israelitæ bella, famem ac pestem experti fuerint, hostibus corroboratis. vide sis Abarb. in *Pentat.* fol. 401. 2. *Prædicat. salutis* fol. 6. 2.

IV. Objicitur quidem passim a viris doctis traditio Hebræorum, quæ extat in *Seder Olam* cap. 30. nec non in *Mass. Erachin.* fol. 32. 2. *Niddab* f. 46. 2. *Bechai in Pent.* f. 220. 2. ubi Sapientes dicunt: *Prima & secunda hæreditas est vobis*

vobis, sed tertia hæreditas vobis non est; idque probant ex hoc loco. Deut. 30, 5. *Reducet te Dominus Deus tuus ad terram, quam possederunt patres tui, ut possideas eam.* Ergo (dicunt nonnulli Christiani Doctores) post hæreditatem Josuæ atque Esræ non erit futura tertia hæreditas terræ Canaan. Sed respondeo, Disputare Rabbinos in Gemara, an Judæi eo tempore, quo terram Canaan non possident, teneantur dare oblationem primam, & an terra eandem habeat sanctitatem, qua olim gavisa fuit? quod dubium solvunt dicendo, sanctitatem, qua Josua & Esra sanctificarunt ac consecrarunt terram Israelis, etiamnum eam sanctificare & tempore futuro; licet hodie terram non possideant, obligari tamen dare oblationem sacram; eoque fine locum allegant Deut. 30, 4. 5. ut probent, terram semel a Josua, & iterum ab Esra fuisse consecratam, sed tertia vice non esse denuo consecrandam, eo quod istam consecrationem ab antiquo adhuc retineat. R. Bechai ita exponit: *Hæredias prima & secunda est ipsis, quia terram Israelis primo per Josuam, secundo per Esram hæreditavunt, sed non hæreditavunt reliquas terras. At vero in tertia hæreditate non erit illis hæreditas terræ tantum, sed totius mundi. Hinc additur: quin benefaciet tibi & multiplicabit te præ patribus tuis. Inde ergo minime sequitur, Israelitas in eam terram non regressuros, cum illud passim Judæi ex vers. 4 & 5 comprobare consueverint. In Tractatu Talm. San-*
bedrin

bedrin de patrum reditu dubitant, filios tamen credunt in patriam redituros.

V. Aliud argumentum suppeditat Moſis Canticum Deut. 32, 34-43. *Nonne illud abſconditum* &c. qui textus noviffima tempora refpicit. Apoſtolus Rom. 15, 10. prima verba commatis 43 allegavit, fideles nempe ex gentibus DEum cum Judæis celebraturos. Ratio additur: *quia ſanguinem ſuorum ulciſcetur* (Dominus) *& ultionem retribuet hoſtibus ſuis at expiabit terram ſuam, populum ſuum.* Verbum *כפר* habet ſignificationem mundationis. Ergo terra *Israelis*, quæ nunc anathemate percuffa, quod prædixerat Malachias cap. 4, 5. cui adhuc ſubjacet, ab eo liberabitur & purgabitur, *anathema non erit amplius* Zach. 14, 11. Ita hæc ultima verba Moſis Coccejus intellexit: *Recipiendos in gratiam etiam Judæos, & quidem cum tranquillitate terræ eorum, ita tamen, ut nullum Templum carnale reædificandum ſit, ſed Judæi ut Chriſtiani terram ſuam ſine ſervitute elementorum mundi obtenturi ſint, ſicut olim a Chriſtianis poſſeſſa.* Conſer Jer. 31, 39. 40. Luc. 21, 24. Abarbanel in *Pentat.* f. 409. 1. ad hunc locum Deut. 32, 34-43 prudenter annotavit, omnes priores prophetias hujus capituli, quibus Deus hæreditatem terræ & proſperitatem promiſerat, atque iniquitatem *Israelis*, nec non calamitates, quæ iis propterea evenirent, prædixerat, non fruſtraſſe eventum; & quia iſtæ partes Cantici, continentes promiſſiones & comminationes

juxta id, quod scriptum est, impleræ sunt, credendum esse ait, hanc ultimam partem de vindicta hostium & liberatione populi sui quoque certo certius implendam esse.

VI. Ex Psalmis unicum locum proferre volupe est, qui extat Psal. 69, 36. 37 *Deus servabit Zionem, & ædificabit civitates Judæ, & habitabunt ibi, hæreditarioque jure eam possidebunt. Et semen servorum ejus possidebit eam, & diligentes nomen ejus habitabunt in ea.* An hæc Davidis, vel Zorobabelis & Esræ temporibus conveniunt? Id negant Aben Esra & Abarbenel, qui calamitates præcedentes ad præsentem caprivitatem suam, hanc vero felicitatem ad tempora ultimæ liberationis per Messiam referunt. Nec diffitentes habebimus Christianos, qui Psalmum hunc vaticinium de Christo ejusque passionibus continere, ideoque ab Evangelistis & Apostolis passim allegatum esse, norunt. Hieropsaltes ergo Spiritu prophetico nomine Messiæ Judæis gravissimas calamitates imprecatus est, ut veniret super eos ira usque ad finem (1 Thes. 2, 16.) sed post istas gravissimas imprecationes & maledictiones ad laudem invitantur cæli, & universa terra vers. 35. ejusque ratio redditur vers. 36. 37 salvatio Zionis, reparatio desolataram civitatum & hæreditaria terræ possessio. Sicut Deus solet comminationibus judiciorum suorum subnectere benedictiones Deut. 29, 30. Jer. 30, 23. seq.

VII.

VII. Tranſeamus ad alios Prophetas, & rursus præcipua duntaxat oracula intueamur; ex quibus clarissimum est illud Jes. 11, 11-13. ubi tota prophetiæ series ad futura tempora nos deducit. Postquam propheta descripsit Messiam ratione ortus & qualilatum ac donorum vers. 1. 2. & administrationem regni ejus vers. 3-9 subditorum collectionem subnectit, partim ex gentibus vs. 10 partim ex Israelitis & Judæis vs. 11-16. ejusque congregationis tandem effectus ac fructus addit, nempe concordiam Israelitarum ac Judæorum, atque victoriam ab hostibus reportandam vers. 13-16. De gentibus inquit vs. 10. *Fiet ergo in die illo, ut Radicem Jischaï, quæ stabit in signum populorum, gentes quærant, eritque quies ejus gloria.* De Israelitis vero & Judæis vers. 11-12. *Et fiet die illo, ut Dominus secundum admoveat manum suam ad acquirendum reliquias populi sui, qui relictæ fuerunt ab Assur . . . & ab insulis maris. Et extollet signum inter gentes, congregabitque depulsos Israelis, & dispersiones Judæ colliget ex quatuor finibus terræ.* Cuivis hoc caput vel obiter inspicienti patet, neque felicitatem & tranquillitatem regni vs. 6-8. neque magnitudinem scientiæ vs. 9. neque illustrem gentium vocationem vs. 10. neque congregationem decem tribuum ex Assur, cæterisque remotissimis locis, & disperforum Judæorum ex insulis maris, sive Europa, Israelisque & Judæ ex quatuor angulis mundi collectionem vs. 11-12.

neque concordiam Israelis & Judæ vers. 13. sub Templo secundo complementum suum habuisse.

VIII. Nec absimilis est prophetia Jes. 49. si inter alia rite ponderentur commata 6. 8. 12. 14-19 seqq. ubi agitur de reductione Israelis, emissionē e vinculis, restitutione hæreditatis dissipatæ, vastationum terræ Israeliticæ reparatione, Ecclesiæ dilatazione, gentiumque ministerio in Israelitarum adductione. Abarbanel *Comment. in Propb fol. 75. 2.* ad h. l. ait, hanc prophetiam de domo secunda explicari non posse, quod tunc Israelitæ ex quatuor mundi alis non redierint, sicut comm. 12. promittitur; & comma 14. non quadrare in captivitatem Babylonicam, eo quod Judæi, qui septuaginta duntaxat annos in Babylonia habitaverant, dici nequeant *deserti a Deo*. Denique, ne nimis prolixi fiamus, lectores ablegamus ad Jes. 59, 20. 21 & sequentia capita usque ad finem libri, quæ cuncta de plenitudinis gentium ingressu & Israelitarum restitutione agunt, novissimis temporibus expectanda.

IX. Sed clarius & copiosius de Israelitarum in patriam reductione Jeremias & Ezechiel vaticinati sunt. Ubi tamen accurate attendendum, ne vaticinia ad reduces Israelitas ex captivitate Babylonica referenda confundamus cum iis, quæ liberationem & reductionem futuram exhibent. Ita v. gr. prophetiæ Jes. 14, 1-3 propria verba, *nam miserebitur Do-*
minus

minus Jacobi, Kimchius refert ad liberationem e captivitate Babylonica, sequentia vero, & *eliget denuo Israel* &c. ad futuram restitutionem. Sed recte monet Abarbanel, prophetam initium facere prophetiae a consolatione & liberatione ex captivitate Babylonica, ideoque non statim transilire ad aliam liberationem, neque comma 2 explicari posse de futura liberatione, sed de domo secunda & Babylonica oppressione; & praedicto Babyloniorum excidio, sermonem esse de visitatione domus secundae com. 3. & seqq. tunc *peregrinos adjunxisse se ad domum Jacobi*, & praesertim temporibus Chasmonaeorum, Babylonios, Idumaeos, aliosque populos relictis idolis Hierosolymam sese contulisse. *Israel* igitur non de decem tribubus, sed de residuis ex decem tribubus, qui cum fratribus suis non migraverant in Assyriam, sed cum tribubus Judae ac Benjaminis in terra manserant, & a Cyro ceterisque regibus dimissi soluta captivitate in patriam redierant, non immerito censet accipiendum. Pari modo vaticinium Jer. 50, 4. 5 de *filiis Israelis* & *filiis Judae* Kimchius atque Abarbanel non de decem tribubus ab Assyrio deportatis accipiunt, sed de residuis Israelitis in terra, qui postmodum una cum tribubus Judae ac Benjaminis per Nebucadnezareem in Babyloniam abducti, & cum iis ex ea liberati. Ast comma 19 & seq. Kimchius ad futura tempora refert coll. cap. 31, 34. atque *Israel* de decem tribubus

bubus in Assyriam abductis interpretatur. Abarbenel autem hisce verbis quoque residuos ex Israele, ab Assyrio non deportatos, denotari vult, quia com. 20 dicitur, *nam condonabo iis, quos residuos fecero.*

X. Ita Jer. 3, 14-19 (sive 9-14.) dubium oritur, utrum propheta loquatur de tempore liberationis ex captivitate Babylonica, an de tempore futuro? De *aversa Israelis*, & *sorore ejus Juda* sermonem esse, liquet vs. 6-12 & v. 14 alloquitur *filios aversos Israelis: accipiam vos unum ex urbe, & duos de familia, ac reducam vos Zionem*. Quorum verborum sensum Kimchius esse putat: *Etiam si unicus Judeus tantum sit in urbe gentium, tamen eum inde sumam: etiam si duo in uno populo, tamen inde eos capiam*, voce *מִשְׁפָּחָה* *populum* denotari, ostendit ex Jer. 1, 15. Zach. 14, 16. Kimchius, Abarbenel, aliique exponunt de futura liberatione, alii interpretes de liberatione ex Babel. Sed obstare videntur circumstantiæ contextus vs. 17. 18. coll. Jes. 2, 2-5. Mich. 4, 2. ubi dicitur, *omnes gentes Hierosolymam congregatum iri ad nomen Domini*; (quod nomen veteres Hebræi de *Messia* exponunt coll. Zeph. 3, 8.) & *domum Judeæ cum domo Israelis venturam pariter e terra aquilonis in terram, quam Deus majoribus possidendam tradiderat*. Nisi ista verba tempore illo, in diebus illis, ad alia sequentia tempora referas, sicut infra cap. 23, s. 6. 7. Quidquid hujus rei sit,

sit, Jer. 3, 18 agitur de tribus Judæ, Benjaminis ac decem tribuum futura reductione.

XI. Succedit locus Jer. 16, 14 seq. *Ecce dies veniunt, dictum Domini, quibus non dicitur amplius, vivit Dominus, qui adscendere fecit filios Israelis e terra Ægypti: sed vivit Dominus, qui adscendere fecit filios Israelis e terra septentrionis, & ex omnibus terris, quo expulit eos: nam reducam eos in terram suam, quam dederam majoribus ipsorum.* Sensus est perspicuus. Nova beneficia obscurabunt veterum memoriam. Liberatio ex una terra Ægypti inferior erit liberatione populi ex quatuor plagis mundi. Ejusdem commatis est prophetia Jer. 23, 3. 11. ubi tamen non tantum de restitutione ultima, verum etiam de liberatione ex Babel sermo est, sicut & cap. 33. Adde Jer. 31, 1. 6 seq. cap. 32, 36-41. His verbis Abarbenel ait contineri congregationem futuram totius Israelis, sed v. 4-44. reductionem duarum tribuum tantum tempore Zorobabelis impletam.

XII. Ut oraculis oracula conjungantur, ex reliquorum Prophetarum monumentis clarissima testimonia adduxisse sufficiat, quæ nostra non indigent elucidatione, cujusmodi sunt illa, quæ extant apud Ezechielem cap. 11, 15-20. cap. 20, 32-44. c. 34, 11 seq. & integris capitibus 35. 36. 37. 38. 39. Abarbenel in fol. 7. 1. *Ezechielem ordinem prophetiarum capitum 37. 38. 39. ex Cantico Moïsis Deut. 32, 34-43. accepisse: suspicatur.* Adde Hof. 1, 11. *Et con-*

gregabuntur filii Judæ & filii Israelis una, & ponent sibi caput unum, & adscendent e terra & c. 3, 3-5. Joel 3, 6. (cap. 4, 1.) Amos 9, 11-15. Mich. 4, 6. 8. c. 7, 11. 12. Zeph. 3, 20. Zach. 2, 5-17. cap. 8, 1-8. c. 10, 6. 10. totumque cap. 14. Quot loca, tot argumenta, quæ reductionem Israelitarum in terram Canaan confirmant. Cujus tamen terminos longe ampliores futuros Deus promisit Exod. 23, 31. Deut. 12, 20. cap. 16, 8. cap. 30, 5. Conferri possunt, quæ super hoc argumento commentati sunt Celeberrimi Viri J. Coccejus in *Ult. Mo- sis* §. 1480 seq. Jer. 31, 39. 40. Jac. Altingius in *Rom. 11 & Jeremiam*, H. Witsius de *X. Tribus Isr. cap. 9 & seq.*

CAPUT II.

Hierosolymam reædificandam esse, docent luculenta prophetarum testimonia. Sed inquiritur, an prophetae de materiali, vel spirituali urbe loquantur?

Abarbenel in libro, qui *Prædicator salutis* inscribitur, fol. 50, 1. ubi exponit ultima capita Ezechielis, quibus etiam *Hierosolymæ* reædificatio continetur, ait, apostatas hæc omnia spiritualiter & mystice interpretari, eo quod si literaliter sumantur juxta longitudinem ac latitudinem harum mensurarum, sequatur, Hierosolymam majorem fore dimidio totius orbis habitabilis, & Templum majus tota terra Israelis; eosque hujus rei rationem adferre, quod sapientes in *tract. Talm. Sanhedrin* & in
Codi-

Codice *Succa* tradiderint: *Dixit R. Abba: Dominus, quæ est coram sancto benedicto Deo, octodecim millibus leucarum continetur.* Per apostatas præter alios designare videtur *Paulum Burgensem*, ex Judæo Christianum, cujus etiam meminit *Comment. in Jes. 34.* Is enim in *Scrutinio Scripturarum contra perfidiam Judæorum*, nomine *Pauli* ita respondit Judæis, quos titulo *Sauli* insignivit.

II. Respondet Abarbanel, hunc esse manifestum errorem, cum tota *Terumab* sive *oblatio sacra*, ab Ezechiele proposita, 25000 calamos, i. e. 75 *milliaria* (parva, quorum quatuor faciunt *milliare magnum*) sit longa ac lata, & ambitus Templi contineat 500 calamos, sive unum *milliare* ac dimidium, urbs autem Hierosolymitana 18000 calamos, i. e. 13 *milliaria* parva ac dimidium, in longitudine, totidemque in latitudine, ut faciat tertiam partem itineris diei, i. e. tertia parte diei homo mediocris eam absolvere possit eundo ab una extremitate urbis usque ad alteram extremitatem: Neque hanc urbis mensuram tempore futuræ liberationis alicui miram & absurdam videri debere, quum Ninive fuerit Urbs magna *itineris trium dierum*; non in circuitu, ut exponit Aben Esra, sed juxta Kimchium, *ab una extremitate ad alteram*, sive *ab una porta ad alteram* (quæ est interpretatio ipsius Abarbanelis) quoniam Jonas c. 3, 4 dicitur *intrasse intra urbem iter unius diei.* Addit, hodieque Mizra-

§ 5

jum

jim metropolin *Ægypti* eandem habere mensuram. Sed in eo apostatam, ait, errasse, quod cunctos terminos totius terræ Israelis posuerit in Urbe Hierosolyma, & sic terminos totius terræ confuderit cum terminis urbis. Ita hætenus recte Abarbenel, quia in magnitudine urbis ab Ezechiele descripta non videmus ullam difficultatem.

III. Urbis hujus magnificentiam, amplitudinem & constantiam descripsit Jeremias cap. 31, 38-40. cum ait, Hierosolymam *ædificatum* *ivi Domino a turri Cbananeel*, quæ est una extremitas, *usque ad portam anguli*, coll. Zach. 14, 10. quæ altera extremitas. *Et exibit porro linea mensoria e regione ejus, ad collem Gareb, & circuibit ad Goab*: quæ sunt, interprete Abarbenele, nomina locorum pascui gregis prope Hierosolymam, ad quæ usque pascua extenderetur habitatio. *Et tota vallis cadaverum*, quæ est planities propinqua Hierosolymæ. R. Salomo vallem ita dici putat, quod in ea ceciderint cadavera diebus Sanheribi; Abarbenel vero vallem Jehoschavat esse suspicatur, de qua Joel. 4, 2. *& cineris*, quem locum fuisse volunt, in quo effuderint cineres urbis, vel ita dictum a pascuo lato & pingui; *& omnes agri usque ad torrentem Kidronis*, qui sunt agri propinqui urbi, eique ampliandæ addendi, *usque ad angulum portæ equorum*: Kimchius & Abarb. ajunt, hanc esse portam, per quam Rex exiverit cum suis equitibus, atque ibi fuisse viam planam

planam pro cursu equorum, eamque portam muris novæ urbis esse includendam; *versus ortum, sanctum Domino*, i. e. totus iste ambitus erit sanctitas Domino, vel, ut Kimchius exponit, pars additamenti hujus accedere debet Templo, & ipsi ampliando: *non extirpabitur neque destruetur amplius in seculum*. Abarbenel: non amplius abduceretur in captivitatem, sicut sæpe factum est. Nemo non videt, hanc reedificationem Hierosolymæ diversam esse ab ea, quæ facta per Zorobabelem & Nehemiam, quia propheta prædicit, majorem fore amplitudinem ac splendorem urbis, & majorem constantiam ac durationem, quam antea fuisset; & notavit Abarbanel vs. 38 dici, *ædificatum iri urbem Domino*; non ergo assignandam portioni tribus Judæ ac Benjamin, sicut factum sub Templo primo, neque ulli alii tribui concedendam.

IV. Huc pertinet prophetia Joelis 3, 5. *in monte Zion & Hierosolyma erit evasio* cap. 4, 1. 16. 17. *Hierosolyma erit sanctitas, nec alienigenæ transaturi per eam amplius*. Abarbenel ait, sanctiorem fore Hierosolymam tempore futuro, quam fuerit antiquis diebus, & in eodem gradu sanctitatis fore, in quo Templum Dei fuerit, ita ut incircumciscus & profanus propter præsentiam Schechinæ, & opera in medio ejus manifestanda, eam non sit ingressurus. Alii magistri dicunt, non transiturum per eam alienigenam, ad eam oppugnandam, & eadem est expli-

explicatio Grotii: *non transibunt per eam hostili exercitu.* vl. 20. *Jehuda autem in seculum manebit, & Hierosolyma in generationem & generationem.* i. e. inquit Abarbenel, Jehuda caput omnium tribuum Israelis erit. Hæc neque de Hierosolyma post solutam captivitatem Babylonicam, neque de Hierosolyma vel Ecclesia triumphante in cœlis possunt explicari, sed necessario sive de urbe terrestri, sive de Ecclesia in terris sunt accipienda.

V. Huc quoque referri possent illustres Prophetiæ, quæ apud Jesaiam extant cap. 60, 10-15. c. 62, 2. 12. cap. 65, 18. 19. cap. 66, 10. 13. 20. 23. de magnifica & splendida restitutione Hierosolymæ, sed brevitati studens progrediar ad Zachariam, qui post captivitatem Babylonicam vaticinatus est. Hic capite 1. post adhortationem ad pœnitentiam, restitutionem Hierosolymæ promittit v. 1-16. sed v. 17. & cap. 2, 1-4. statum afflictionis Judæorum in quatuor magnis imperiis, quorum ultimum Romanum, sub emblemate *quatuor cornuum* prædicit, suo tempore a quatuor fabris decutiendorum. Abarbenel cap. 1, 17. captivitatem & vastationem domus secundæ proponi vult hisce verbis: *Adbuc dispergentur urbes meæ a bono*, i. e. incolæ urbium ab omni bono & ex terra bona evellentur, & mox promitti ex illa ultima captivitate futuram liberationem, & *consolabitur Dominus adbuc Zionem, & eliget adhuc Hierosolymam*, i. e. præter consolationem, quam

quam Judæi liberati ex captivitate Babylonica nacti sunt, *ad hoc* consolabitur eos in liberatione futura: Hinc toties *ad hoc* dici.

VI. Cap. 2, 5. Angelus dimensus est Hierosolymam futuram, & quia mensuram vel dimensionem ejus non manifestavit, propheta existimavit, eam tantam fore, quanta olim fuerat. Venit ergo alius angelus v. 7. 9. & ostendit ei, multo majorem futuram esse, ita ut habitetur *vicatim*, vel, *sine mœnibus*, *præ multitudine hominum & jumentorum*, quod tanta copia ad eam undique homines confluxuri sint, ut nullis mœnibus capi possint. De hac multitudine populi Jesaias quoque prophetavit cap. 49, 19. 21. Abarbenel dicit, omnes Interpretes hanc prophetiam Zachariæ interpretari de liberatione ex captivitate Babylonica, & v. 10. 11. de *fuga ex Babel*, ut ad domum secundam adscendant; ipse autem refellit hanc sententiam, quia, inquit, tempore hujus prophetiæ vastatio Babelis jam præterierat, & quia dicitur, *sicut quatuor ventos cœlorum dispersi vos*, quæ non quadrant in captivitatem Babylonicam, cum longe major antea fuerit decem tribuum, & postmodum futura esset Judæorum per totum orbem dispersio. Neque reliqui versus ad tempora solutæ istius captivitatis referri possunt, sicut illud v. 15. *Ad hærescent gentes multæ Domino, eruntque illi in populum*, non convenit statui Judæorum post reditum ex Babel. Abarbenel igitur compellationem illam,

beus,

heus, heus, v. 10 referendam esse putat ad decem tribus in Assyriam abductas, & v. 11 *heus Zion, proripe te, quæ habitas apud filiam Babel*, ad tribum Judæ ac Benjamin; non quod tunc futuri sint in Babel, quando ita quasi compellantur, sed quod illa fuerit captivitas Hierosolymæ, quam deportavit Nebucadnezar in Babyloniam, & ita nos, quocunque in loco, in quacunque provincia fuerint, hoc modo compelli posse, statuit.

VII. Ejusdem Zachariæ prophetia c. 8, 1-8. magnificentiora continet, quam ut in Hierosolymæ instauratione per Nehemiam complementum suum habuerit; si quidem de Judæis Babylone adhuc hærentibus dici non potuit v. 7. Deum, liberaturum populum suum *e terra orientis, & e terra occasus solis*. Nam per *populum in terra orientis* decem tribus, & per *populum in terra occidentis* captivitas Judæ ac Benjaminis intelligitur. Ast tempore Zorobabelis ac Nehemiæ neque decem tribus sunt liberatæ, neque Judæi e terra occidentis, quandoquidem nulli tunc erant in partibus orbis terrarum occidentilibus, Græcia, Italia &c. Hos omnes *adducturus Dominus Zebaoth, ut habitent in medio Hierosolymæ* v. 8. quæ tunc erit *urbs veritatis & mons sanctitatis* v. 3. qualis non erat domo secunda.

VIII. Neque caput 12 Zachariæ ad præterita tempora accommodari potest, sed referri debet ad illustrem conversionem totius gentis Judaicæ per totum terrarum orbem dispersæ,
cum

cum faciet Dominus, *ut Jerusalem habiter adhuc in loco suo* (sive, *sub se*) *in Jerusalem* v. 6. Abarbenel refert, ab historicis Romanis memoriae proditum, Hierosolymam a Tito Vespasiano & Romano exercitu devastatam, jussu Caesaris Adriani reaedificatam esse, non in eodem loco, quo antea steterat: idque ex eo confirmari dicit, quod locus sepulchri Christi, qui olim extra urbem erat, nunc existat in media urbe, ideo Prophetam dixisse putat, *Jerusalem habitabitur adhuc loco in Jerusalem*, ut indicaret, non relinquendam esse urbem Hierosolymam in loco, quo nunc est, sed *in Jerusalem*, i. e. loco Hierosolymæ primo. Cum aliis videatur esse tautologia. Id etiam notavit Joh. Cotovicus in *Itinerario suo Hieros. & Syriaco lib. 2. cap. 20. Judæis rursus rebellantibus, Ælius Adrianus Imperator turres illas cum reliquo urbis muro penitus demolitus est, urbemque sale conspersit* (confer Deut. 29, 22.) *ac novam a suo nomine Æliam nominatam, antiquæ urbis pomeriis plurimum contractis, quo loco nunc urbs visitur, condidit, mœnibusque cinxit. Cujus opere factum est, ut loca sancta, i. e. Dominicæ passionis & resurrectionis quondam extra urbem jacentia, nunc ejusdem urbis muris circumdarentur.*

IX. Denique, totum caput 14. Zach. oracula de futuro tempore continet, quum a populo Dei dividetur præda ab hostibus reportanda v. 1. coll. v. 12. 16. & quando congregabuntur omnes gentes ad Hierosolymam in bellum, capietur urbs, & exhibit dimidia pars in

in captivitatem, reliquus autem populus non excinderetur de urbe v. 2. Quæ ad Hierosolymam a Romanis expugnatam referri nequeunt, cum omnes Judæi, qui tunc in urbe inventi, vel interfecti, vel servituti mancipati, & urbs ipsa funditus deleta sit, ut nemo in ea superstes manserit. Rario additur v. 3. quod Deus ipse contra gentes præliaturus sit, sicut olim pro populo suo pugnavit Exod. 14, 14. Et stabunt pedes Domini super monte olivarum, qui diffunderetur &c. v. 4. Aben Esra ista verba literaliter exponit, quod petra de loco suo sit transferenda; Abarbenel vero parabolice & mystice accipienda esse docet. Tum Israelitæ, qui ex urbe exhibunt in captivitatem, fugient e valle ad montes v. 5. *quia pertinet vallis montium ad Azal*, quod est forte nomen loci extra montes, quo se recipient. Abarbenel putat, hic esse inversum ordinem scripturæ, q. d. *quia pertinet vallis ad montes*, quia propinqua montibus. Tunc veniet Dominus Deus meus, & omnes sancti tecum, id quidam ad Israellem, alii ad Hierosolymam referunt. Tanta autem eo tempore erit angustia, ut gaudium vindictæ divinæ non percipiant præ metu hostium; lux enim hujus diei non erit splendida, v. 6. & sicut die nubiloso non separatur a tenebris, ita erit unus dies soli Deo notus adeo nebula & caligine condensatus, ut dies & nox dignosci nequeant, sed circa tempus vespere, quum Dominus consummaverit bellum

lum istud, orietur Sol, perpetuaque & clara lux erit v. 7. Illo die exhibunt aquæ vivæ ex Hierosolyma v. 8. eritque regnum Dei non tantum super Israel, sed super totam terram, omnesque gentes unum Deum cœli ac terræ creatorem adorabunt, relictis falsis diis v. 9.

X. Quis autem tunc status erit Hierosolymæ? v. 10. *circumcirca erit* (vertetur) *tota terra, sicut planities*. Abarbenel ait: licet circa Hierosolymam sint montes, tunc tamen Deus totam terram circa Hierosolymam rediget in planitiem, & montibus complanatis, Hierosolyma altior erit tota terra, juxta illud Jes. 2, 2. Planitiem determinat *a Gibeā usque ad Rimmonem versus meridiem Hierosolymæ*. Et si autem *habitabitur loco suo*, extendetur tamen & ampliabitur valde, *inde a porta Benjamin ... usque ad torcularia regis*, quæ sunt extra Hierosolymam. Nec amplius abducetur in captivitatem sicut olim vs. 11. sed secure habitabit. Hostes, qui pugnabunt contra, dignis pœnis afficientur vs. 12-15. v. 12. Veteres Rabini de *lepra* interpretantur, recentiores *morbum Gallicum* intelligunt, qui sit instar lepræ. Et quia in bestiis eadem plaga erit, quæ in earum possessoribus, eas non accipient in prædam vs. 15. Jehuda autem *cum Hierosolyma* contra hostes pugnabit, in voce בְּרוּשָׁם pro בְּרוּשָׁם posito vs. 14.

XI. Hæc sunt præcipua loca de futura Hierosolyma. Quæ de ejus amplificatione & dilatatione dicuntur, præsertim Jer. 31, 38, 40.

¶

&

& Zach. 14, 10 ea forte de materiali urbe accipi possent. Sed varia sunt, quæ sensum mysticum exigunt v. gr. ultimo loco allegato Zach. 14, 16-19. dicitur, fore, ut adscendant omnes gentes de anno in annum Hierosolymam ad adorandum Regem Dominum Zebaoth, (per quem Rabbini Messiam intelligunt) & ad feriandum festum tabernaculorum. Et Zach. 8, 7. 8 promittit Deus, se omnes Israelitas, i. e. captivitatem decem tribuum, & captivitatem Judæ ac Benjaminis adducturum, ut habitent in medio Hierosolymæ & vs. 22 venturos populos multos & gentes numerosas ad quærendum Dominum Zebaoth in Jerusalem. Adde Jes. 66, 20. omnes filios Israelis abducent Hierosolymam vs. 23. omnis caro de mense in mensem, de Sabbatho in Sabbathum eo veniet ad incurvandum se coram Domino. Jer. 3, 17. Congregabuntur Hierosolymam omnes gentes ob nomen Domini. Hæc omnia sensu literalis accipi nequeunt. Quomodo enim metropolis illa Judææ, sive totius Israelis, capere potest omnes Israelitas, atque omnes gentes terræ? quomodo possunt quorannis, imo de mense in mensem homines ex toto orbe eo venire?

XII. Ipse Abarbenel, qua est sagacitate, animadvertit hanc difficultatem, & *quæstione 6. commentationi in Jes. 60* præmissa ait, naturali modo fieri non posse, ut omnes in toto terrarum orbe homines Hierosolymam veniant ad festum.

festum. Quid ergo commentus est? *omnis caro*, inquit, *non de omnibus nationibus mundi accipi debet, sed de omnibus justis in Israele, qui in terra habitabunt*, juxta illud Psal. 145, 20. *& benedicat omnis caro &c.* Hos omnes duabus vicibus Hierosolymam quotannis venturos esse, asserit, ad incurvandam se coram Rege Domino Zebaoth: Tempus autem primum esse *mensem septimum*, quo conditus mundus, & cum dicitur, *de mense in mensem*, eo designari vult, omnes dies festos istius septimi mensis quovis anno esse celebrandos. Tempus secundum esse a *Paschate ad Azareth*, de quo Levit 23, 15. *Numerate vobis a postero die Sabbathi*. Et cum dicitur, *de Sabbatho ad Sabbathum*, significari putat toto illo tempore septem septimanarum, sive Sabbathorum, festum esse celebrandum. Quamvis autem *omnem carnem* interpretatus sit de Israelitis, diffiteri tamen nequit, intelligi simul omnes gentes; non quod omnes venturæ sint Hierosolymam, sed quod sponte inductæ se incurvaturæ sint coram Domino creatore mundi a Sabbatho in Sabbathum, in memoriam creationis. Et ad locum Joelis 3, 1 Aben Esræ aliisque interpretibus, qui *omnem carnem* de Israelitis exponunt, repugnat, omnesque filios hominum, cujuscunque sint nationis, illic comprehendi asserit, coll. Gen. 6, 12. Jes. 49, 26. Zeph. 3, 8. 9. ad Zach. 2, 17.

XIII. 2. Quæ de aquis vivis Hierosolyma prodituris Zacharias cap. 14, 8 deque fonte aperto cap. 13, 1 prædixit, suadent sensum mysticum. Quamvis Aben Elra & R. Salomo ea secundum literam accipi posse existiment, ut miraculoso modo egrediantur aquæ vivæ ex Hierosolyma, Jonathan tamen Chaldaus Paraphrastes & Abarbenel parabolicum sensum admittunt, quod nempe ex Zione egredietur lex, & verbum Domini ex Hierosolyma. 3. Veteres Rabbini ab Abarbenele citati ista verba Zach. 14, 10. 11. Th. 10 explicata, parabolice & mystice exponunt, quod *montes* circa Hierosolymam sint hostes vicini Babylonii, Ægyptii, Assyrii, Romani, Ammonitæ ac Moabitæ, cæteraque vicinia regna, quod isti mali montes sint evertendi, Hierosolyma vero extollenda & incolæ ejus tranquille habitaturi, ab adversariis & hostibus immunes. In *Medrasch agada* interpretantur *torcularia regis* de congregatione maris Oceani, & Regem regum hisce verbis docere ajunt, Hierosolymam ad finem mundi se porrecturam, i. e. famam de salute & prædicationem mirabilis legis ac religionis ejus ad finem mundi perventuram. Abarbenel approbat hanc allegoriam & mysticam explicationem, quod licet circa Hierosolymam sint hostes eam prementes, Deus tamen sit circa populum suum, ut eum ex illorum potestate eripiat.

CAPUT

CAPUT III.

Prophetiæ, quæ passim de domo Domini ejusque ministerio futuro occurrunt, de materiali Templo & externo cultu explicari nequeunt, cum istius perfectio statui Ecclesiæ istius temporis non conveniant.

Cum olim Templum esset domus & palatium DEI, in quo tanquam Rex in throno præsentiam suam manifestabat, ab eo initium faciemus. Hic autem non possumus intactum relinquere locum Jes. 66, 1. *Sic dixit Dominus; Cæli sunt thronus meus, & terra scabellum pedum meorum: quæ ergo domus, quam ædificabitis mihi, & quis locus quietis meæ?* Postquam propheta superioribus capitibus prolixè commemorasset spiritualia & corporalia beneficia ultimis temporibus expectanda, animos Israelitarum abducere studet ab externo & carnali cultu, cum ostendit, Deum non in templis manu factis habitare, sed in contritis spiritu. Abarbenel *quæst.* 1. ad hoc caput Jesaiæ, dubium movet, qui sensus sit hujus interrogationis, *quæ domus, quam ædificabitis mihi?* similem quidem orationem inveniri 2 Sam. 7, 5-7. postquam David petiisset Templi ædificationem v. 2. sed in præcedentibus verbis Jesaiæ nullam mentionem de Templo esse factam, ut Deus hoc Israelitis inculcare necesse haberet? Respondet, Deum in præcedente Parascha plura bona promississe, nempe hæreditatem ter-

ræ, benedictionem proventuum, longitudinem dierum, multitudinem gaudii, perpetuitatem pacis, tranquillitatem ac securitatem in seculum. Ne autem cogitarent, Deum liberaturum Israellem & in terram reducturum, eo fine, ut sibi struerent domum sanctuarii, & ut esset Hierosolyma locus quietis suæ, ideo dixisse, summum Deum non opus habere loco, nec habitare in domo, coll. 1. Reg. 8, 27. sed hunc esse scopum liberationis, ut misericordiam exhiberet Israeli, sicut ait v. 2 *ad hunc vero respicio, ad miserum, & contritum spiritu, & timentem sibi super verbo meo.* Neque Deus ante cultum Mosaicum ullam locorum differentiam fecit. Adde, quod Maim. *More Neb. Par. 3. c. 45* dicat, *Veteres idololatræ templa extruebant stellis, hinc nos iussi Templum ædificare DEO.* Quam bene vel male hoc dicat, jam non examinabimus.

II. Secundum argumentum desumimus ex Jer. 3, 16. *Tum non dicent amplius, Arca fœderis Domini, non veniet in animum, neque recordabuntur ejus, neque recensent, neque fiet* (reparabitur) amplius. Cum tamen arca olim præcipuis instrumentis Tabernaculi & Templi annumeraretur, & Exod. 25, 10 primo ac præcipue structura arcæ mandata. Ita Abarbenel ad 2 Sam. 7, 2. Quamvis illic etiam altare, candelabrum ac mensa, reliquaue instrumenta darentur; *arcæ* tamen mentionem facit, quia præcipuum instrumentum erat, & ipsissima san-

sanctitas: Idem ad 1 Reg. 6. arca erat unicum instrumentum, cujus similitudinem non fecit Salomo, sed ea contentus erat, quæ a Mose facta in deserto. Cum ergo arca non semper fuerit in Ecclesia, sed populo Israelitico ex Ægypto egresso demum concessa, & cum destructione primi Templi amissa, nec sub Novo fœdere reparanda, utpote cujus nec usus nec necessitas futura, quid manifestius est, quam cultum ceremonialem tempore Messiae fuisse abrogandum, utpote cujus anima quasi & centrum erat arca? Ne jam dicam, quod Maje-monides loco citato, alique arcam a DEO Israelitis indultam esse statuunt, ut ab idololatria eos arceret.

III. Tertium argumentum ducimus ex loco Zach. 14, 20. 21. ubi omne discrimen vasorum sacrorum & profanorum dicitur cessaturum. Cum enim olim in rebus sacris varii essent gradus sanctitatis, & ollæ, in quibus victimarum carnes coquebantur, sanctitatis gradu longe inferiore essent, quam phialæ aureæ & argenteæ, quibus utebantur ad offerendam similam & oleum, ad fundendum sanguinem victimarum circa altare, atque ad vinum & suffitum, hic tamen ollæ & vasa infimæ sanctitatis dicuntur futura, sicut phialæ aureæ & argenteæ pretiosissimæ & sanctissimæ. Et cum nihil sanctius esset lamina aurea, summi Pontificis fronti imposita, cui insculpta e-

rant

M 4

rant hæc duo vocabula *sanctitas Domini*, tintinnabula tamen, quæ dependent de collis equorum, quibus adscendent ad feriandum festum Tabernaculorum, dignitate & sanctitate similia erunt summi Pontificis laminæ aureæ. Abarbenel docet, tantam fore sanctitatem & humiliationem populorum coram Domino, ut homines Hierosolymam adscensuri non solum ore suo invocent nomen Domini, sed etiam tintinnabulis equorum insculpant hæc verba, *sanctitas Domini*, atque ita testatum faciant, se esse e numero feriantium festum Tabernaculorum; & propter multitudinem populorum multiplicatum iri sacrificia & ollas in domo sanctuarii; si autem ollæ, quibus coquant in sanctuario, non sufficerent, totam Hierosolymam eis futuram esse in sanctuarium, sicut dicitur vers. 21. *Et erit omnis olla in Hierosolyma & in Jebuda sanctitas Domini Zebaoth.* Sed quomodo omnes ollæ in Jerusalem & Juda consecrandæ erunt Domino? sic enim nullas habebunt in usus suos? Hæc ergo & alia docent, verba illa non proprie, sed figurate esse intelligenda. *Et non erit amplius mercator in domo Domini in die illo.* Abarbenel: *Non erit amplius homo in Jerusalem negotiator; qui vendat carnem ad comedendum ex ollis, quia omnia erunt sancta*, coll. Jes 23, 8. Eadem est interpretatio Grotii. Alii: non erit amplius *Cananeus*, profanus & impius in domo DEI, quæ congregatio sanctorum erit. R. Joseph Kimchi, Davidis

dis pater, *Cananaeum* vertit, & intelligit Gibeonitas, quod illi non amplius caedendis lignis & hauriendis aquis inservituri sint in domo Domini (sicut olim Jos. 9, 27.) eo quod multi ex magnatibus gentium sponte servituri sacerdotibus, coll. Jes. 66, 21. (Ast ibi dicuntur gentiles ipsi sumendi in sacerdotes.)

IV. Quartum argumentum suppediant *sacrificia*, quibus sub glorioso regno Christi locus esse nequit, quia pertinent ad *statuta non bona* Ezech. 20, 25. Ipsi Hebraeorum Doctores, quando exponunt locum Jer. 7, 22 fatentur, Israelitis ex Aegypto egressis nullum esse praecipuum datum de sacrificiis, sed de credendis duntaxat & faciendis: at vero post fabricationem vituli Exod. 22, data esse praecipua de oblationibus & holocaustis. Vide sis Abarben. ad h. l. & R. Salomonem ac R. Mosem Gerund. ad Levit. 9, 2. Exod. 29, 1. Majemonides *More Neb. Par. 3. cap. 32.* preces, meditationem legis, familiaeque pietatis officia statuit esse consilii divini primum intenti & per se praescripta, ideoque omnibus locis ac temporibus observanda; sed sacrificiorum jura esse consilii secundum intenti, non autem propter se sanctificata, quod probat ex 1 Sam. 15, 22. Ps. 50, 8, 9. Jes. 1, 11. Jer. 7, 22. 23. Et R. Schem Tob ad praememoratum locum *Moreb* adnotavit: *Hac est opinio Maimonidis de sacrificiis: Propterea jussit ea DEUS, quia illis assueti erant idola-*

¶ 5.

lola-

lolatæ, & illic impossibile erat abjicere ea, quibus erant assueti: ideoque tamdiu jussit offerre sacrificia, donec deleteretur idololatriæ memoria de mundo. Valeant hæc Judæorum testimonia, quantum possunt, contra Judæos perpetuam sacrificiorum futuro tempore urgentes. Nec desunt vaticinia, quæ sacrificia illa desitura prædixerint Dan. 9, 27. Adde ea, quæ supra Sect. 2. cap. 4 citavimus ex Kimchio, tempore futuro non amplius esse ea omnia, quæ Moses præcepit, custodienda.

V. Quintum argumentum petimus a conditione *Sacerdotum & Levitarum*. Nam secundum legem Moſis ſacrificare ſoli Aharonis poſteritati conceſſum, idque non niſi in ſolo patrio. Jam vero Pf. 110 promittitur Rex per totum terrarum orbem dominaturus, qui Rex idem ac Sacerdos in perpetuum futurus eſſet, idque ad inſtar Melchizedeci. Pſalmum hunc de Meſſia agere, Talmudici ſalique Hebræorum Doctores quam plurimi nobiſcum aſſerunt. Vide *Medraſch Tillim* in Pſalm 2, 7. *Bereſchit Rabba* ſuper Genef. 14, 18. Meſſias autem non eſt ex tribu Levi, cui ſacerdotium eſt aſſignatum, ſed ex tribu Juda, cui non licuit ſacerdotio fungi 2 Par. 27, 18. Et de futuro tempore prædixit Jeſaias cap. 66, 21. *Et etiam de iis ſumam in ſacerdotes, in Levitas; inquit Dominus.* De quibus? vel de gentibus, vel de reliquis Iſraelitis ex omnibus tribubus, vel de
utris-

utrisque. De iis enim sermo in præcedentibus. Abarbenel *quæstione* 4. capiti 66 Jesaiæ præmissa hoc dubium mover: Si hoc dicat de gentibus, quod ex iis accepturus sit sacerdotes & Levitas in domo Domini, sicut Interpretes exponunt, aut si de ipsis Israelitis ex captivitate reversuris hoc intelligat, quod scilicet ex singulis tribubus aliquos accipiet in sacerdotes & Levitas, erit hæc profecto absque omni dubio magna mutatio in lege Dei, qui elegit tribum Levi ad ministrandum sibi, & ad benedicendum nomine suo, sed *alienus* vel *extraneus* accedens morietur. addit Jer. 33, 17. 20-22. Responder autem, ex istis filiis Israelis, quos adducent e terris longinquis, accipiet etiam sacerdotes ac Levitas, nempe ex illis, qui erunt ex familia sacerdotali & Levitica. Hoc est effugiur. Abarbenelis. Nam in textu agitur de gentibus & de Israelitis promiscue, non tantum de tribu Levi. Ideo recte R. Salomo ait: *e gentibus adducentibus eos, & ex adductis (Israelitis) accipiam sacerdotes & Levitas.*

VI. Sexto loco urgemus, quod ultimis temporibus *in medio terræ Ægypti altare Domini futurum* Jesa. 19, 19. cum olim nefas esset sacrificia offerre in altari extra Hierosolymam posito. Quærunt Interpretes, ad quod tempus illustrissimum hoc vaticinium sit referendum? & quinam illi sint *Domini duri, & Rex crudelis*, qui in Ægyptios dominaturus v. 4. Plerique
Hæ.

Hebraei intelligunt Sanheribum, quibus calculum suum adjecit Grotius. Abarbenel autem docet a Sanheribo, Nebucadnezare, Alexandro, Mac. Antiocho & Romanis quidem subjugatam esse Ægyptum, sed in illorum tempora non quadrare, quæ hic prædicta sunt, non vl. 5-9. nec 16. 17. multo minus vl. 18. usque ad finem capitis, nempe quod quinque civitates in Ægypto lingua sancta confessuræ sint Dominum, eique juramento se obstricturæ, & altare structuræ in medio terræ suæ. Hæc omnia, inquit, sunt *substantialia Legis*. Refert porro, in *Mass. Menachoth* Rabbinos altare Domini intellexisse de altari Oniæ filii Simeonis justī, & nonnullos ex illis voluisse, eum obtulisse holocausta idolis; alios asseruisse, ea obtulisse summo Numini. Sed neutram sententiam esse admittendam; quia, si obtulerit sacrificia idolis, id nequaquam intenderit hic propheta; & si vel vero Deo obtulisset, oblatio tamen facta fuisset extra terram Canaan & Templum, ideoque nihil boni ex eo fuisset exspectandum, quod tamen hic promissum. Addit, nec temporibus Sanheribi, nec sequentibus temporibus, quibus Ægyptus ab aliis devastata, convenire quæ hic habentur vl. 23-25. indeque concludit, tempore futuro hanc prophetiam demum esse implendam.

VII. Non possum quin adjungam & in compendium redigam eruditam Abarbenelis inter-

terpretationem hujus difficillimæ prophetiæ, ut simul convincantur alii Judæi ex sacro hoc textu, & auctoritate tanti inter ipsos viri. Ita enim pergit ad comma 18. Quia tunc terra plena erit cognitionis Domini, & in omni loco suffitus adferetur nomini meo Mal' 1, 11. sicut a Zephania prædictum cap. 3, 9. Nam tunc vertam ad populos labium purum &c. ideo hic Jesaias vers. 18. *In die illo erunt quinque civitates &c.* Cum enim Mitrazim & Canaan essent fratres Genes. 10, 6. ideo, ut ostendat, inter Ægyptum & terram Judæ fore amorem ac fraternam societatem, inquit, quinque urbes loquentur labio Canaan, quandoquidem unum eis labium & eadem verba erunt (Gen. 11, 1.) non quinque duntaxat, verum etiam reliquæ urbes, sed in tota terra Ægypti quinque se consociabunt, ad instar quinque digitorum manus, propter mutuam amorem etiam in negotio religionis, & juramento sese obstringent, se domino servituras & in eum credituras. Quod si una ex illis civitatibus fidem in Deum denegaverit, eam devastabunt, eritque tumulus perpetuus, nec unquam restaurabitur: hinc ait, *dicetur uni*, i. e. erit *urbs destructa* & desolata, eritque *una*, i. e. sola, a reliquis separata. Ad divulgandam autem fidem suam exstruent *altare in medio terræ Ægypti*, & statuent apud terminum ejus Domino vs. 19. in signum & testimonium, se credere in Dominum, & divinitatem ejus admittere vs. 20. idque quia
clama-

clamabunt ad Deum tempore belli hostium Nazarenorum, qui eos oppriment; tunc Deus O. M. eis mittet Salvatorem ac Principem, ad eos eripiendum, qui est Rex Messias, Nazarenos illos profligaturus ac vastaturus. Ideo cognoscetur Dominus ab Ægyptiis vers. 21. qui vovebunt vorum Domino, & facient sacrificium ac mincham, *sive in Jerusalem, sive in altari suo.* Et percutiet Dominus Ægyptum vs. 22. Hæc plaga eis forte obtinget, quod non ascenderint ad festum Tabernaculorum, quemadmodum Zach. 14. 18. 19. convertent se tamen ad Dominum, qui exorabitur illis, & sanabit eos. Et quis novit, an non in Ægypto quinque duntaxat civitates futuræ sint, quæ primum admittent veram religionem divinam, quarum una ab antiquo nominata fuerit *ir habaves* i. e. juxta Targum Jonat. *civitas domus Solis*, quæ destruenda, quod illic *Solem* coluerint, ita ut istæ quinque civitates exstruant altare, Dominumque cognoscant ac colant, reliquæ autem urbes, quæ hoc exemplum non imitabuntur, percutiantur, quæ tamen quoque convertentur ad Dominum, qui eis tunc exorabitur. Vers. 23. licet Ægyptii & Assyrii olim fuerint inimici, tunc tamen inter eos erit amor, pax & fraterna societas, ideoque erit semita ex Ægypto in Assyriam, & colent Ægyptii summum Numen *cum Assyriis*; ~~non~~ loco *cum dy* posito. De quo cultu locutus fuerat vs. 21. *facient sacrificium* &c. vers. 24. 25. in die illo erit
Israel

Israel *trina* Aegypto & Assuri, q. d. ideo tres illi erunt benedictio in medio terræ. Aegyptus enim & Assur cum Israele consociabuntur in vera fide. Concludit Abarbenel, ex hisce animadverti posse rei veritatem, in hac prophetia contentam, futurum scilicet esse, ut Aegyptus & Assur tota terra orientalis, post vindictam divinam ab eis sumendam, ad verum Deum convertantur, & fidei ejus veritatem cognoscant, Edomum autem, eo quod sit caput hostium in captivitate Israelis, ab hoc beneficio dixit esse excludendum, & hoc vidisse Danielem cap. 7, 7 seq. ubi de quarta bestia. Quis non mecum admiretur doctam hanc expositionem, si modo per *Edom* & *Nazarenos* intelligas partem Nazarenorum, Romam, & Romanum Edom, sive Antichristum. Nec tamen ideo eum rem acu tetigisse dico, quod hic mihi suffus examinare non licet. Ad institutum nostrum hæc sufficiant.

VIII. Cum autem ad v. 22. mentionem injecerit vaticinii Zachariæ cap. 14, 16-19. in quo dubia quædam occurrunt, non pigebit ejus mentem ad h. l. quoque adscribere. V. 16. *Omnis residuus* ex isto bello v. 12-14. revertetur ad Dominum, & adscendet de anno in annum Hierosolymam, ad adorandum Regem Dominum Zebaoth, Regem Messiam, de quo sermo psal. 2, 6. Psal. 72, 11. propter ejus perfectionem & miracula, quæ patrabit. Quod
fi

fi quis non adscenderit de familiis terræ Hierosolymam ad adorandum Regem Dominum Zebaoth, *etiam non erit super eos pluvia* tempore congruo v. 17. id est, præter istam plagam v. 12. memoratam insuper & hæc erit. Ait quoniam Ægyptii, quorum terram Nilus rigat & fecundat, non opus habent pluvia, ideo ait v. 18. Sed si familia Ægypti non adscendat, nec veniat, licet ea non sentiat defectum pluviae, *an non super eos erit plaga, (alia) qua percutiet Dominus gentes, quæ non adscendent ad feriandum festum tabernaculorum?* (per interrog. & admirationem) profecto super eos erit plaga, illa nempe v. 12. (ut Aben Esra & Kimchius) vel ista Ezek. 38, 22. Nam. v. 19 *hæc erit pæna Ægypti, & pæna omnium gentium &c.*

IX. Ex quibus omnibus manifestum est, altare terrenum, quod olim lege præceptum, erat, ut non fieret nisi in loco, quem elegerit Deus, non posse collocari in Ægypto, ideoque nomine *altaris* mystice cultum divinum esse intelligendum, haud secus ac Mal. 1, 11. per hostiam & mincham omni loco offerendam. Aliis vaticiniis & argumentis supersedebimus.

CAPUT V.

Visiones Ezechielis, novem ultimis capitibus contentæ, allegoricam & mysticam habent significationem.

Tri-

TRIBUS prioribus Sectionibus variis argumentis probare conati sumus, Ezechielis visiones nullo modo ad tempora Zorobabelis & Templum secundum referri posse; & quæ præcedenti Sectione quarta disputavimus, eo comparata sunt, ut animum nostrum impleant cogitationibus de mystico earum sensu. Cum enim omnia prophetarum vaticinia ab uno eodemque Pastore tradita sint, uti loqui amat Abarbenel, ea, quæ ab Ezechiele prolata, non possunt repugnare Jesaiæ, Jeremiæ, Joelis, Zachariæ aliorumque vatum prædictionibus, quæ tamen non nisi allegorice & mystice, sicut ostendimus, explicari possunt. Ideoque hæc omnia per visionem propheticam Ezechieli oblata esse arbitramur, quæ reipsa non ita eventura, sed quorum mens & scopus est statum & conditonem alicujus rei depingere. Sicut visionem illam cap. 37, v. 14. R. Jehuda, Maimonides, Kimchius alique interpretes Hebræorum parabolice interpretati sunt de collectione & reductione Israelitarum ab exilio in patriam, juxta versus 11. 12. per ossium vivificationem & apertionem *sepulchrorum*, quibus terras gentium significari volunt, præfigurata. Abarbenel autem ipsam vivificationem mortuorum in fine dierum futuram hac parabola figuram esse autumat, idque ex eo constare docet, quod de collectione & reductione captivorum in terram nova prophetia subjungatur v. 16. seq. Ita parabolam *foraminis* & *ostii*
M
Ezech.

Ezech. 8, 7-12. Kimchius indigitare putat, urbem Hierosolymam esse perforandam & perfringendam, parietemque murorum a Chaldaeis perfodiendum, propter idololatriam ab Israelitis exercitam. Abarbenel ait, licet propheta introductus ad portam attrii, foramen tamen & perfossionem parietis in domo sanctuarii non denotari, sed DEUM prophetæ monstrare voluisse, abominationes, quas unusquisque fecerit domi suæ, quod scilicet singuli in parietibus domus suæ depinxerint idola & imagines, quidam signum arietis, alii bovem, alii reptilia & abominabilia, quæ unusquisque fecerit in conclavibus imaginis suæ, i. e. in conclavi suo imaginibus ornato.

II. Idem Abarbenel *Præfat. comment. in Prophetas minores* distinctionem facit inter ea, quæ prophetice tantum & in visione oblata, ut Jer. 13, 5-7. cap. 27, 3. Ezek. 4, 9. cap. 5, 1. cap. 8, 3. seq. cap. 37, 1. seq. Zach. 11, 6. 7. (ab Aben Esra & Majem. additur Hof. 1, 2.) & inter ea, quæ ipso opere revera facta sunt ut Jes. 20, 2. Jer. 28, 2. 10. De quibus omnibus postquam prolixè disseruit Majemonides *More Neb. cap. 46.* concludit: *Ex iis, quæ adduxi, judicare potes de illis, quæ sicco pede præterivi. Omnia enim sunt ejusdem speciei & formæ, omnia sunt visio tantum prophetica. Quæcunque autem in ista visione dicuntur, ut quempiam aliud fecisse, audivisse, exivisse, dixisse, compellatum esse, sedisse, ivisse,*
in-

interrogasse, interrogatum esse; illa omnia sunt intelligenda in visione prophetica. Et licet prolixè nonnunquam res illæ recitentur, & circumstantiæ temporis, loci, personarum indicentur, tamen postquam intelligis, quod opus illud sit parabola, certo persuasus esto, quod acciderit in visione prophetica. Id applicari potest visionibus Ezechielis cap. 40-48. ubi totus contextus de novi Templi structura similibusque rebus prolixè recitatis mysticus est & allegoricus, phrasibus ex V. T. Templo, urbe & terra sancta desumptis, quo describitur novus Ecclesiæ & politiæ status post universalem totius Israelis conversionem, quod nunc certis argumentis probare volupe est.

III. Hoc primo liquet ex capite 47, 1-12. ubi propheta monstrantur aquæ prodituræ sub limine domus versus orientem, earumque miranda incrementa, & ad aquarum ripas arbores semper virentes, singulisque mensibus fructum salutarem ferentes. *Abarbenel Comment. super Ezech. fol. 220. col. 2. 3.* ubi totam hanc visionem Ezechielis cap. 40-48. neque de domo secunda, neque spiritaliter accipiendam esse, 21 argumentis probare suscepit, hoc ordine sextum decimum adfert ex Ezek. 47, 1. 12. de aquis ex sanctuario prodituris. Urget, hanc promissionem, sive aquæ literaliter, sive mystice sumantur, de influxu cœlesti & sanctitate, aut de sapientia & doctrina Hierosolyma in totum terrarum orbem proditura, neque

sub domo secunda, neque in hunc diem (in gente Israelitica) fuisse impletam: *Signa nostra non videmus, non est amplius propheta, nec est nobiscum sciens: quousque?* (Psal. 74, 9.) Et inde infert, hanc promissionem spectare futura tempora. Quod ei lubentes largimur. In commentario prolixè hoc vaticinium exponit, magisque in mysticum, quam literalem sensum inclinat, sicut videre est fol. 218. 2. ubi ita commentatur: *Hæc promissio aquarum vel literaliter vel mystice est explicanda. Si literaliter accipienda, miraculoso modo fons egredietur e domo Domini, quia olim Hierosolymæ semper defectus aquarum fuit* (Jes. 7, 3. 2 Reg. 18, 16.) *Domini ergo novum creabit in terra* (Jer. 31, 22.) *et aquas per creationem producet* (ita sentiunt R. Saadia Gaon, R. Salomo & R. D. Kimchi) *Si vero sensu mystico intelligantur aquæ, significabunt primo conjunctionem divinam, perfectionem rerum credendarum, et sancta opera tempore futuro e domino Domini ad omnes Israelitas, atque ad omnes reliquos populos proditura, coll. Jer. 17, 13. Secundo denotabunt aquæ legem et fidem, tempore futuro ex Jerusalem egressuram non tantum ad Israelem, sed etiam ad omnes populos et nationes* Jesa. 2, 2. cap. 55, 1. c. 12, 3. Joel 4, 18. Zach. 14, 8. Jer. 31, 34. *Omnes me cognoscent. Cum enim ductus propheta via exteriori ad portam exteriori vers. 2. vidit aquas ex atrio exeuntes, hoc innuit, ad nationes mundi, et ad extraneos, qui sunt extra terram Israelis, quoque descensuras.* „ Recta
 et

Et sana ratio docet, aquas, quæ hic memorantur, non esse corporeas, Et secundum literam, sed parabolice Et mystice intelligendas, quibus res alia, indigitatur, idque ex eo liquet, quod dicat vers. 3. & mensus es mille per ulnam, & transire fecit me per aquas. Si enim aquæ Et transitus per eas, accipienda essent literaliter sensu, quomodo tunc, posset Ezechiel dicere, & fecit me transire? Cum, enim hæc promissio agat de futuro tempore, quomodo hunc transitum propheta sibi ipsi tribuere potest, quandoquidem ex quo mortuus est Ezechiel, millia annorum præteribunt, antequam hæc promissio impleatur? Ergo tota illa res mystice significat cognitionem Et sapientiam, futuro tempore, cum gloria Domini domum ingreditur, innovandam. Ideo propheta hanc suam parabolam prolixè recitavit, (Confer ea, quæ Th. 2 ex More Neb. Par. 2. c. 46 sunt allegata.) Hic habes, Lector, ingenuam confessionem Abarbenelis, aquas vivas e Sanctuario prodituras non literalem, sed mysticum habere sensum, licet sibi suscepit perpetuam propugnationem pro materiali templo. Hinc nos rectè inferimus, quod si aquæ mysticum & allegoricum habebant sensum, reliqua quoque non de materiali, sed mystico templo sint interpretanda. Sicut Sect. 1. c. 3. Th. 2 ex eo, quod una pars Terrarum, nempe Mons domus, 500 calamos longus ac latus dicatur, rectè, ni fallor, inferebam, reliquam partes (totius summæ 25000) quoque calamis non cubitis, fuisse, mensuratas.

IV. 2. Eodem modo argumentamur ex Ezech. 43, 19 - 27. Et *dabis Sacerdotibus Levitis &c.* „Abarbenel scripsit, Deum hoc mandasse „Ezechieli, qui erat sacerdos, ut hanc oblationem daret sacerdotibus, quam ipsi offerrent „vers. *Et sumes de sanguine ejus &c.* Hoc ipso, „inquit, demonstratur, non designari altare „domus secundæ, cum Ezechiel ad eam non „adscenderit, sed mortuus sit in terra Babel, „ibique sepultus, sicut in *Præfatione Commentarii hujus libri* explicavi. Indicatur ergo vivificatio mortuorum tempore congregationis „captivorum, quod isto tempore futuro hæc „faciet Ezechiel, „ Verum enim vero hæc explicatio non convenit cum præcedente ad cap. 47, 3. ubi ex illis verbis, *transire fecit me per aquas*; inferebat Abarbanel, hanc promissionem de *aquis* ē sanctuario prodituris non literalem, sed mysticum habere sensum, eo quod Ezechiel jam diu mortuus, antequam hæc promissio impleatur. Ita nos ex hoc loco concludimus, *altare & expiationem ejus* c. 43, 13 & seq. allegorice & mystice accipiendum, cum Ezechiel diu mortuus fuerit, quando hæc implebuntur. Si enim Ezechiel altare expiaturus sit, postquam ex mortuis fuerit resuscitatus tempore congregationis captivorum, quidni etiam post resurrectionem, per aquas, cap. 47, 3 descriptas, transire poterit? Hic ergo rursus mysticus sensus stabilitur.

V. 3. Quis credat, sub felici & perfecto illo statu Ecclesiæ tot *victimæ* esse mactandas, quarum numerum propter *μωχολογίαν* auctum esse fatentur ipsi Magistri, quas tamen ultimis temporibus multiplicandas esse docet Abarbenel. Cum terra erit plena cognitione Domini, & rationalis cultus vigeat, Deo legem suam cordibus inscripturo, quem usum habebunt isti carnales ritus? Accedit, quod teste Kimchio multa nova præcepta de sacrificiis ac Ezechiele cap. 45 & 46 producta, a Mose non præscripta, immo a præceptis Mosaicis longe diversa sint. Vid. Sect. 2. c. 4. Th. 6.

VI. 4. Licet *Arca* olim præcipuum esset tabernaculi & templi instrumentum, tamen in descriptione templi Ezechielis ejus nulla mentio facta est, quod convenit cum loco Jer. 3, 16. Abarbenel ad Ezech. 43, 13 quærit, quare nulla mentio facta lavacri & basis ejus, nec mensæ panis facierum, nec candelabri & altaris suffitus? Rationem esse putat, quod in iis nihil ejus, quod in lege refertur, & quod a Salomone factum, fuerit mutatum & innovatum. 5. R. Moses Alschech. ad Hag. 2, 7. 9. *domum Sanctuarii tertiam spiritualem & opus Dei* nuncupat, cujus etiam *parietes spirituales* fore asserit. *Quin etiam* (inquit) *tota ista domus (secunda) erit spiritualis: quoniam & tunc ædificata quæ fuit secunda, mutabitur in tertiam spiritualem.*

VII. 5. Si Johannis ultimas visiones Apoc. 21 & 22, 1. 2. quibus ei illustris status Ecclesiæ novissimi temporis in hisce terris exhibetur, cum duobus extremis capitibus Ezechielis comparemus, nemo dubitare potest, quin hujus prophetæ vaticinia mystice sint exponenda. Eadem habere Johannem, quæ Ezechiel, inspicienti utriusque textum fiet manifestum. Sicut enim a Johanne post bestię & pseudophrophetæ interitum, & plenariam Gogi ac Magogi destructionem nova Hierosolyma describitur cap. 21. ita ab Ezechiele post Gogi & Magogi everfionem, templi, terræ & urbis Hierosolymæ gloriosus status repræsentatur Ezech. 38-48. Eadem est Hierosolyma Johannis, quæ descripta ab Ezechiele, quadrangularis & duodecim portis constans. Cum singulæ tribus Israelitarum dicuntur habere portam nomine suo inscriptam, universalis conversio Judæorum præsupponitur. *Fundamenta vero muri urbis omni lapide pretioso exornata* dicuntur Apoc. 21, 10. quæ quidem in Ezechiele non habentur, sed. Jes. 54, 11. 12. Abarbenel ad h. l. scripsit, Hierosolymam illic mulieri sterili comparari, & quæ hisce duobus versibus de ea prædicantur, omnia esse parabolica, & significare magnas divitias & magnam gloriam, loco ejus, quod in exilio esset *afflicta*. Addit tamen, hoc forte secundum literam quoque impletum iri in domo Domini futura, quod scilicet filii orientis allaturi

turi sint lapides pretiosos, & multos ex iis daturum ædificio domus Domini extruendo. Id ipsum etiam memoriæ proditum esse, ait, a sapientibus in *Bereschit Rabba*; atque in *Pesikta* scriptum esse, fore, ut termini Hierosolymæ pretiosissimis lapidibus & instrumentis implerentur. Et quando dicitur *procellis jactata*, ejus respectu putat promitti tranquillitatem vs. 13. & *consolatione destitutam* erigi istis verbis vs. 14. *Procul abesto ab oppressione* &c. At vero Johannes dicit vers. 22. *se non vidisse Templum in urbe*. Nec ab Ezechiele visum est Templum intra urbem, sed extra eam cap. 45 & 48.

VIII. Cur autem Johannes multo amplio-rem facit hanc urbem, quam Ezechiel? Ille enim circuitum urbis 12000 *stadiis*, hic autem cum 18000 calamis duntaxat constare dicit. Hujus discriminis forte hæc ratio dari potest, quod apud Ezechielem præcipue Ecclesia Israelitica proponatur, non exclusis tamen gentibus & peregrinis, quibus etiam hæreditas in terra est assignata cap. 47, 22. 23 in Apocalypsi autem tota Ecclesia repræsentetur, postquam tota plenitudo gentium intravit. Confer Apoc. 7, 9. *Post hæc* (numerum obsignatorum ex omni tribu Israelis) *vidi, cum ecce, turba multa* &c. adde cap. 14, 1. 6.

IX. Si quis cum Abarbenele objiciat, omnium mensurarum Templi mysticam significationem

ficationem dari non posse? Ei oppono mensuras mysticarum *aquarum* Ezech. 37, 3 sq. & *altaris* cap. 43, 13 sq. Immo Apoc. 21. circa quædam eadem difficultas moveri potest. Et quis omnium rerum mysticas significationes novit?

X. Hæc nos interpretamenta salvo meliori calculo sacris oraculis consona judicamus, neque tamen ita omnia expedita gloriamur, ut non hæreant scrupuli, nec supersint difficultates.

F I N I S.



X C555

